

1 cl expulso Salenguerra [a], filio Taurelli, cum suis amicis a Ferfari^a finibus; quorum domus et bona praefatus hostiliter destruxerat marchio, eap^adem^a servans tyrannidem in Montillos, cives Veronae maximos. Verum, cum ultima non semper respondeant primis, post multas ex parte utraque bellicas clades [b].... 6 u)

Quando Livienses satisfecerunt Faventinis in plena concione [c]; et ipsi honorifice remiserunt eis.

CAP. CXXX.

1 Faventini Anno a Christi nativitate mccviii, suggestione et instinctu illius qui non cessat inter fratres discordiam seminare inflammari, quidam Liviensium furtim et per latrocinia Faventinos in strata offendere conabantur, quosdam occidendo, alios vero ab eis inventos, plagis impositis, semivivos relinquendo. Quapropter Faventini, tanto dolore tantaque injuria perniciem accensi, tempus expectabant idoneum, quo pondus importabile a suis quirent cervicibus excutere. At Foroliviensium potestas, Rainerius scilicet [d] de Guirardino, et cum eo xv viri honorabiles, venerunt Faventiam, et in plena concione, super nominatis offensis sese obedituros omnibus mandatis Guirardi de Orlandino [e] potestatis [f] sine pactione aliqua juraverunt. Deinde, ex mandato ejus, infra viii dies, xxii obsides [g] Faventiam mittentes, ducentos Forolivienses praedictum fecere sacramentum subire. His omnibus libentissime et absque dubio peractis, praefatus Girardus [h] de communi consensu suorum civium, in generali et pleno consilio Foroliviensium [i] eis ex parte Faventinorum, mense novembris, omnem offensam omnemque rancorem dimisit [j]; obsides reddidit, et omnes qui juraverunt ab omni sacramenti vinculo penitus absolvit. Pro tanta itaque gratia et mansuetudine, Forolivienses Faventinis immensas gratias exsolventes, ab inde per tempora multa eis fideles et veri extiterunt amici.

Quando dominus Otho [k] coronatus est in Romanorum imperatorem et regem.

CAP. CXXXI.

Sub anno Dominicae incarnationis mccviii, dominus Otho quartus, electus a principibus Alemani^a [k] in Romanorum regem, et confirmatus a domino Innocentio papa tertio, ad Italico^a fidelitates recipiendum, patriarcham Aquilejensem [l] in Italiam

[a] Salenguerra, C. M.; Salinguerra, C. V. — [b] bellicas clades.... Sic in Codd., sensu non finito. Statim vero subsequitur sequens caput, cum quo nulla apparet conjunctio. — [c] in plena concione. Sic lego. In C. M., in plena comptione. — [d] Rainerius scilicet. Sic lego; nam in C. M., Rainerius S. est. Scilicet, deest in C. V. — [e] Faventini potestatis. Sic legit C. M.; Faventino potestate, C. V. — [f] infra viii dies, xxii obsides. Sic C. M.; infra octo dies, viginti duos obsides, C. V. — [g] praefatus Girardus. Sic C. M. — [h] consilio Foroliviensium. In C. M., post Foroliviensium, repetitur: consilio. — [i] rancorem dimisit. C. M., rangorem dimisit. — [j] dominus Otho. Codd. habent: dominus Otto. — [k] Alemani^a, C. M.; Alemaniae, C. V. — [l] Patriarcham Aquilejensem. Sic lego. C. M. habet: Patriarcham Aquilegiensem. Is autem erat patriarcha Volcherus.